



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VIII. Quosnam obligent Constitutiones Canonicae sive Ecclesiasticae?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

Resp. II. Hæc ipsa etiam vera esse, & asserti debere pari modo de subditis, qui intra territorium quidem, in locis tamen plenissimè à Domino jurisdictionis territorii exemptis, existunt (in ordine enim ad jurisdictionem æquiparatur locus talis exemptus, loco extra territorium sito) nisi quoad populum tali loco subditum non esset exemptus talis locus, sed præcisè ratione personarum privilegiatarum in tali loco habitantium, ob strictam scilicet exemptionis, ordinario loci talis, præjudicantis, interpretationem.

Resp. III. Præceptum tamen & sententia judicis ligat etiam extra territorium præcipientis, aut sententiam legitimam ferentis, cum enim ferantur hæc talia directe & immediatè personis subjectis, consequenter ubicunque persona fuerit, ligabitur illis.

§. VIII.

Quosnam obligent Constitutiones Canonicae sive Ecclesiasticae?

Resp. I. Canonum statuta, sive leges Ecclesiasticae, ligare omnes Christi fideles Ecclesiae subiectos *c. 1. h. t.* (cum enim pro omnibus taliter subiectis ferantur leges tales, consequenter etiam omnes illis ligabuntur, si tamen legitime sint promulgatae, & usu contrario non abrogatae, sed receptae; neque particularis tantum sint, certo generi hominum tantum latae) non quidem quasi omnes obligentur omnibus quoad vim coactivam, cum Pontifex nulli jurisdictioni humanae subiectus, à nemine cogi possit; sed quoad vim directivam, saltem indirectè, & ex æquitate naturali, quâ quis pa-

tilegem jubetur, quam ipse tulit *c. cum omnes 6. h. t.* nisi statui ac Dignitati non congruant.

Resp. II. In foro etiam externo sæculari juxta sacros Canones judicandum esse in materia Ecclesiastica, quidquid in jure Civili de tali materia decisum sit, cum tales Civiles decisiones per jus Canonicum correctæ sint, & ob defectum jurisdictionis in Civili Legislatore circum talem materiam nullæ sint.

§. IX.

Utrum Leges Civiles & Statuta Magistratus secularis obligent personas Ecclesiasticas?

Resp. I. Quæ expressè & nominatim de rebus, aut personis Ecclesiasticis, præcipiendo aliquid, aut prohibendo, decernunt, non obligare personas Ecclesiasticas *c. quæ in Ecclesiarum 7. h. t.* etiam si in commodum, & favorem Ecclesiarum disponant (cum tales leges ob defectum jurisdictionis ipso jure nullæ sint) sive deinde disponant in specie de bonis Ecclesiasticis Clericorum, aut Personarum Ecclesiasticarum, sive de bonis earum Patrimonialibus (cum certum sit, quod si persona exempta est, res illius etiam exemptæ sint, velut accessoriarum personis exemptis) quamvis bona talia intra Laicorum Principum v. g. districtum, aut territorium sita sint *c. 1. de immunit. Eccles. in 6.* (cum territorialis jurisdictionis non se extendat, nisi erga Personas, & Res subditas, quales non sunt exemptæ Personæ & Res Ecclesiasticorum, nisi bona Feudalia essent, quæ ex dispositione utriusque juris sub jurisdictione domini dire-